



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Catalogvs Omnivm Antistitu[m] Tungaroru[m],  
Traiectensiu[m], ac Leodiorum, [et] rerum domi,  
belliq[ue] gestaru[m] Compendium**

**Placentius, Jean-Leo**

**Antverpiæ, 1529**

Duodecimus Antistes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30477**

Monaste  
riū diui  
Petri sit  
Collegiū

decimo confirmatus est anno salutis. 922. Qui collegia & Monasteria cōflagrata reedificare aggressus, tumbā S. Lamberti martyris aræ penitenti ori coadunauit, & nouis officinis Collegium S. Petri illustrans, nigris monachis obliteratedis, triginta viros Canonicos introduxit, Parochiā super riuum diuo Seruatio dedicauit; cuius oratione, eo in loco fons exiliū esse credebatur. ædes sacras a Normānis cōflagratas, passim Caroli simplicis & Lodouici huius filij sumptibus reparauit. Abbates non ambitioni, sed hospitalitati indulgere, mensibusq; singulis sibi adesse voluit, atq; horum domicilia, etiam peregrinis, semper patere mādauit. Quibus tanq; sacellanis vsus est cui obediendo, tot opes cōflauerunt, tot census atq; opima patrimonia cōgesserunt: vt vel Arabes inuidere possent. Obijt anno administratio nis. 24. decimo Calendas Augusti. sepultus in æde S. Petri. Floruit sub Apostolicis viris Ioanne decimo. Leone sexto, Stephano septimo, Ioanne vndecimo, Leone. 7. Stephano octauo, & Marino secundo, Imperantibus Henrico primo & Ottone huius filio.

¶ Duodecimus Antistes.

**H**Vgo vir modis omnibus egregius p̄fuit annis duobus, mensibus sex. Sepultus in Coll. diui Lamberti quarto Idus Apri

les. Floruit sub Apostolico Marino secundo, Imperante Ottone primo.

¶ Tercius decimus Antistes.

**F** Arabertus Comitis S. Pauli filius, Abbas Prumiensis, Episcopo sublimatus est anno salutis. 948. Qui duas Leodij parochias S. Georgij & S. Catharinę consecrauit, & Driapolitanū monasterium mutato cultu ecclesiā S. Andree fecit. Præfuit annis sex, sepultus in Colle. S. Lamberti, quinto Calendas Aprilis. Floruit sub Apostolico Agapito tercio, Imperante Ottone primo.

¶ Quartus decimus Antistes.

**R** Acherius filius comitis Viennę, Monachus Lobiensis, ad Hugonē regem in Italiam profectus, eius est auxilio in Episcopū cōsecratus anno salutis. 953. Quē postea Bauarię duci fauere deprehēdens pari facilitate deiecit, & paphiā exulare coegit, suffecitq; alterū Antistitē Farabertū. Hic quū nō diu superuixisset, causam ad se recipiente Brunone Archiepiscopo Coloniēsi, partes cōposuit. Vnde Racherius restitutus, dū more suo priuata maledicētia & innata quadā mordacitate effluerat plurima in Leodinum populū diēteria iaculatus, secūdo depositus est, & in Lobienſe monasteriū relegatus, Qua occasione, inuectiuam in Leodienses